



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Laurentius Justinianus. 8. Januarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

catule! unius dentis dolori ferendo non es, non potes digitum cerei flammulae vel momento admove-  
 re; qui poteris deditas sceleribus poenas perpeti?  
 s. Hæc supplicia æquabunt æternitatem sine solatio, sine intermissione, sine spe. Proh Deus! si hoc verbum intelligeres *Æternum pati*, quàm tibi amaræ forent voluptates, quàm suaves afflictiones! O æternitas! Ecquis te animo volvit, quin contremisca?, Deum timeat, ac mundum contemnat? O æternitas! Momentanea delectatio æterno plectitur supplicio. Fide, aut mente caret, quem nec movet, nec ad meliora compellit æternitatis cogitatio. *Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus sempiternis?* Isai.

# S. LAURENTIUS JUSTINIANUS.

8. Januarii.

*Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* S. Paulus ad Rom. 2.

**A** Nnum agenti IVSTINIANO decimū nonum, induta Virginem Divina Sapientia amplexum tulit & osculum. Ab eo tempore omnis illi Mundus desipere, una sapere

B 2

sapere Religio. Ad hanc cum se recepisset,  
 fuit, qui, cum familiaritate (quæ ei cum  
 LAVRENTIO intima erat) destitutum se  
 indignè ferret, ad septa Monasterij cum to-  
 tâ acie sodalium veniret: Cornu unum Ci-  
 tharædi, alterum armati tenebant. Sed  
 utrumque perripit LAVRENTIVS, cap-  
 tumque verbis Sodalium in sua jurare verba,  
 manusque dare Religioni coëgit, plauden-  
 tibus utique Superis, quod jam Theseus Pi-  
 rithoum suum, non ad Orcum, sed Cælum  
 comitaretur. Post tamen LAVRENTIVS ad  
 infulam extractus, pater pauperum & ho-  
 stis superbiorum audiit, mirandâq; egit plu-  
 rima; in ore illud crebrò habuit: EAM DE-  
 MUM ESSE VERAM SAPIENTIAM, SCIRE DE-  
 UM OMNIA ESSE, AT NIHIL HOMINEM, &  
 illud: CÆLO EXCLUDENDOS OMNES FOR-  
 OPULENTOS, NISI EJUS JANITORES PAUPERES  
 PIÂ MANU CORRUMPERENT. Ego palmarium  
 id puto: perituras Venetias fuisse pessimo  
 Sodomorum exemplo, nisi potentior apud  
 DEUM Abrahamo LAVRENTIVS interces-  
 sisset. Porro moriturus plumas respuit, mor-  
 mor, quàm duro lectulo Christus obiisset. Pen-  
 tamen sine plumis in cælos evolavit ann-  
 M. CCCCX, cum iusta illi homines inte-

Angeli persolverent, funeris dicam tibi ci-  
nes, an virtutis buccinatores? *Ex suria.*

MEDITATIO

*De officio hominis Christiani.*

1. **V**erus Christianus credere debet omnia,  
quæ fides docet. Quam pauci sunt igitur  
veri Christiani! An mortale peccatum admitterent,  
si penitus crederent, Deum esse, infernum, & Pa-  
radisum? Saepius versetur fides tua circa præcipuas  
ejusmodi veritates.

2. Sermo tuus sit interpretis tui cordis: nihil di-  
cere debes homine Christiano minùs dignum, Tue-  
risne causam **JESU CHRISTI**, si quando in congres-  
sibus homines impiæ, ac solutioris linguæ cum ver-  
bis appetunt? Num, qui te audit, potius Epicu-  
reum te, superbum, & avarum dixerit, quam dis-  
cipulum **JESU CHRISTI**? *Fac omnia, sicut Filius Dei,  
ut dignus sis eo, qui te dignatus est Filium vocare.*  
Bern,

3. An facta tua congruunt fidei tuæ? Ille Chri-  
stianus est, qui vitâ, moribus, laboribus Christi  
exprimit: vana est fides bonis operibus destituta.  
Haud absimilis est vita tua vitæ Ethnici cujusdam,  
vel infidelis. An ex tuâ peccandi facilitate, & ter-  
renorum cupiditate argui posset, credere te para-  
disum, & infernum esse? Nunquam tibi exideat  
regium effatum S. Malachia; *Frustrâ Christianus  
vivit, si Christum non sequar.*

B 3

S. JULIAN.